

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3165

Auteur(s) : Guillaume Ier, Ponthieu (comte)

Bénéficiaire(s) : Neufchâtel-en-Saosnois, Notre-Dame de Perseigne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1145

Action juridique : fondation

Langue du texte : latin

Analyse

Fondation et dotation par le comte Guillaume de l'abbaye de Notre-Dame de Perseigne.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Du Monstier Arthur, *Neustria Pia seu de omnibus et singulis abbatibus et prioratibus totius Normanniae*, Rouen, J. Berthelin, 1663, p. 817.
- b. Fleury Gabriel, *Cartulaire de l'Abbaye cistercienne de Perseigne*, Mamers, Fleury et Dangin, 1880, p. 1.
- c. Brunel Clovis Félix, *Recueil des actes des comtes de Ponthieu (1026-1279)*, Paris, Imprimerie Nationale (Collection de documents inédits sur l'histoire de France), 1930, n° XXXII, p. 52-56.

Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir BRUNEL, p. 52, n. 1.

Texte établi d'après c

Preteritorum patrum jure memoranda gesta, variis vicissim sucedentibus causis, modernis temporibus facile videmus a memoria labi. Eapropter, ne qui in posterum ceca cupiditate pellecti a nobis gesta temeraria presumptione perturbent, istud preclarum opus carte monumento memorie decrevimus recondere armario. Noscant igitur presentes et posteris quod ego Willermus, Pontivorum comes, ex sacra Cystercii religione conventum monachorum Deo in perpetuum debite servitutis pensum persolvendum statuens, eisdem, concessu Widonis atque Johannis filiorum meorum, pro anime mee predecessorumque atque successorum meorum salute, ex propriis meis fondavi ecclesiam honori sancte Dei genitricis Marie dedicatam, ad quorum sustentacionem plurima ex meis dedi et concessi, ex quibus hic quedam propriis duximus exprimenda vocabulis : in primis locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est cum nemoribus, edificiis et aliis pertinentiis suis, sicut rivulus qui dicitur Vecteri dividit, qui quidem rivulus descendit a foresta mea per vallem de Guitonnet subtus Leurcium usque quo recipitur in aquam venientem de abbatia, et de stanno de Brithesca subtus Vetus Leurcium, et sicut semita signis et crucibus signata dividit, et laciore via inter nemora abbatie et forestam meam, et descendens venit ad aquam venientem ad abbatiam, et sicut cheminum dividit per quod itur de Sancto Paulo apud Sanctum Rigomerum de Plano per aquam supradictam ad rivulum dictum Richoer usque ad Noas et ultra, locum etiam qui vocatur Sanctus Jacobus cum pratis et pertinentiis suis, locum qui vocatur Buignon juxta Novum Castellum cum terris, pratis et pertinentiis suis, molendinum de Brithesca et stannum ejusdem molendini, terras que Lande nominantur et terras quas assensu meo dedit eis Philippus Hay juxta Landas predictas, grangiam meam de Altanosia cum terris, pratis et pertinentiis suis, et terras de Ragoneria usque ad forestam meam sicut dividuntur per fossata, vineam meam

de Novo Castello cum domibus, plessiis, clausuris, fossatis, et aliis pertinentiis suis usque ad forestam, grangiam meam de Monte Populano cum terris, pratis et aliis pertinentiis suis, grangiam de Thusca cum terris, pratis et pertinentiis suis, vineas de Pireto cum pertinentiis suis, grangiam de Cortrenblayo quam assensu meo dederunt eis Gervassius, dominus de Cortrenblay, et Guarinus, filius ejus primogenitus, cum terris, pratis et pertinentiis suis, grangiam eciam de Claro Fonte quam monachi de Sagio dederunt eis in elemosinam cum terris, pratis et pertinentiis suis. In dedicacione autem ecclesie et in doctis nomine dedi eis apud Rolers prata que sunt a fosseio sicut rivulus qui vocatur Rugemmar circuit usque quo recipitur in Sartham, et eandem Sartham in proprio dominio ad piscandum, ab illo scilicet loco quo predictus rivulus in ea descendit usque ad predictum fosseium, et sicut dicta prata extenduntur in longum et latum, et juxta eandem villam tres sexteratas terre cum hominibus manentibus in eadem. Preterea dedi eis terras, vineas, prata, et nemora de Malafia cum bordis et aliis ad dictum locum de Malafia pertinentibus usque ad ductum aque que dicitur Sorel et ultra, et sicut cheminum vocatum de Petris dividit, et nemora et terras, et sicut cheminum dividit per quod itur de Sancto Paterno apud Larreium, dictaque nemora usque ad nemora de Larreio protenduntur. Concessi etiam eisdem monachis et successoribus suis et confirmavi terram quam Olivarius de Oseio et Radulphus Viarius dederunt eis apud eandem Malafiam cum pratis et pertinentiis suis. Volo insuper et concedo quod dicti monachi faciant molendinum fullonarum vel plura in terra sua, in quo vel in quibus homines eorum pannos suos faciant fullonari, similiter et homines terre mee de Sagonio, si ego aut heredes mei non fullonarum molendinum fieri decreverimus in eadem ; ista omnia et singula do ipsis monachis et successoribus suis in puram ac perpetuam elemosinam liberam et quietam ab omni terreno servicio et exactione seculari, cum omni jure, jurisdictione, districtu dominico, dominio, et cum omni justitia alta et bassa, ac eciam plenaria, libere et honorifice possidenda, nichil mihi et heredibus meis in omnibus et singulis premissorum totaliter retinendo. Item do et concedo eis et successoribus suis in omnibus et singulis locis predictis et eorum appendenciis et pertinentiis omnimodam venacionem ad omnia grossa animalia et parva, et omnem jurisdictionem ac justiciam temporalem. In villa Alenconis dedi eis burgensem unum cum omnibus suis, Willelmum nomine, pro suis negociis agendis, et heredem ejus, eum scilicet qui domum ejus possidebit. Hec autem omnia et illa que per Dei gratiam, aut elemosina, aut propria empcione jam aquisierunt de baronibus, millitibus, burgensibus, et aliis hominibus meis, sive in posterum, Deo propiciente, adepturi sunt, cum grangiis, terris, pratis, pascuis, pasturis, locis, domibus, vineis, nemoribus, stannis, aquis, viis semitis, molendinis, moultis, piscariis, decimis, censibus, redditibus, censivis, hominibus, usagiis, libertatibus, cum omnibus et singulis eorundem pertinentiis, prefatis monachis et successoribus suis do, ac libere et honorifice in perpetuum possidenda concedo. Preterea do ipsis monasterio et monachis presentibus et futuris usuagium in omnibus forestis et nemoribus meis et in omnibus et singulis locis pertinentibus ad easdem ad omnia necessaria et utilia sua, pasnagium porcorum suorum, et omnium animalium suorum herbagium et pasturam omni tempore, et prohibeo ne a custodibus forestarum vel nemorum aut forestariis quacumque occasione impediatur, vel in aliquo perturbentur. Item nolo quod dicte foreste et nemora tantum in posterum vendantur, extirpentur, vel devastentur, quin ipsi et successores sui possint usuagium suum, pasnagium, herbagium et pasturam suorum animalium invenire, capere in isdem et habere perpetuo in futurum, maxime cum hec specialiter sint ipsorum precipuum fundamentum. Volo etiam et concedo quod ipsi eorumque successores tradant grangias, loca et possessiones suas, quando sibi expedire viderint, ad medietariam, redditum, vel ad firmam, et quod omnes qui in locis, grangiis, medietariis sive aliis possessionibus eorundem quoquomodo manebunt in futurum habeant usuagium suum in omnibus forestis et nemoribus meis, et porcorum et omnium animalium suorum pasnagium, herbagium, et pasturam. Item volo et precipio quod ipsi et successores sui possint loca, nemora et ceteras possessiones suas prope forestas et possessiones meas aut hominum meorum claudere, quando eisdem expedierit, fossatis, haaiis, sepibus, sive pallo, et in signum mere libertatis ac perpetue elemosine domos edificatas in terra sua et etiam edificandas absque contradicione aliqua cruce signent. Volo insuper et concedo quod prefati monachi eorumque successores omnes res et homines sui presentes et futuri, sive illi qui loca ipsorum domos vel grangias quocumque modo tenuerint vel in eisdem manxerint, sint liberi et quieti de theloneo, passagio, pontagio, pedagio, costumis, talleis, corveis, halagio, havagio, bosselagio, reparacione viarum, poncium, villarum atque castrorum, sive exitibus, omnique alia consuetudine et seculari exactione de omnibus rebus quas vendiderint et emerint vel deportari fecerint per terram et aquam in omni loco jurisdictionis et potestatis mee ; nullusque in dicto monasterio nec in locis ejusdem hominem capere aut percutere, nanna, animalia, blada, vina, aut alia bona ibidem constituta capere vel portare, aut justiciam qualemcumque exercere audeat vel presumat ; prandium, hospicium, sive prebendam vel rem quamlibet aliam improbe et quasi hereditario jure requirat, sed omnia integra libere et honorifice conserventur eorum pro quorum gubernacione ac sutentacione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Et ne domus Dei pravorum malignitate valeat perturbari, omni qua possum actoritate

decerno atque precipio quod, si dicti monachi per se vel per alios non exspectant vel exspectaverint omne jus suum in aliquibus premissorum, quod per non usum eisdem monachis aut aliis ab ipsis causam habentibus vel habituris nullum prejudicium generetur ; nec volo quod de saisina ejusdem noceat in futurum, aut saisina aliqua contra ipsos vel successores suos mihi aut heredibus meis aliquid proficiat in futurum. Et propter reverenciam Dei omnipotentis et gloriose virginis Marie, sancti Petri, sanctorumque omnium, omnes rectores sancte matris Ecclesie, ac nobiles principes superiores meos devotissime deosco quatinus dictos monachos et successores suos cum omnibus suis possessionibus, privilegiis, usagiis, libertatibus, immunitatibus, hominibus, locis, rebus, et aliis bonis suis in virtute, potestate et guarda sancte matris Ecclesie et sua regia tuicione, nobilique custodia et protectione accipiant ; nam ipsos et eorum monasterium cum omnibus et singulis rebus possessionibus et hominibus suis extra guardam et justiciam meam, et in guarda et potestate domini nostri Jhesu Christi et superiorum meorum pono, nichil mihi aut successoribus meis in guardam vel justiciam retinendo, nisi de speciali gracia ditorum monachorum aut eorum successorum. Quod ut firmum et stabile in perpetuum perseveret, presentem cartam sigilli mei munimine roboravi, testibus hiis : domino Willelmo, Cenomannensi episcopo, et Giraldo, Sagiensi episcopo ; Ric., Savigniensi abbate ; Radulpho, abbate Sancti Andree ; G., abbate Sancti Vincentii Cenomannensis ; R., vicecomite Belli Montis ; Pagano de Clincampo ; Hugone de Mellayo ; Roberto de Nulleio, et multis aliis. Ego Johannes, filius comitis primogenitus, omnia que in hac presenti carta continentur laudavi et ratificavi, eaque sigilli mei karactere confirmavi.